

DISPUTATIO JURIDICA.

Continens positiones aliquot

maximè controversas

De

M O R A

Quas

D. T. O. M. F. A.

*Magnifico & Amplissimo ꝛtorum Ordine
Consentiente*

*In celeberrimâ & florentissima Witebergenſium
Academia.*

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI EXCELLENTISSIMI
ET CONSULTISSIMI VIRI

DN. CHRISTIANI CARPZOVII

J. U. D. Præceptoris, Fautoris ac Promotoris sui,
eo quo par est honoris cultu prosequendi.

In publico ꝛtorum Auditorio

Placidæ disputantium censuræ subicit.

CHRISTOPH. JOACHIM COELESTINUS

Custrinô Marchicus

Habebitur ad diem 31. Martii

horis antemeridianis



WITTEBERGÆ,

Typis GEORGII MÜLLERI,

ANNO clō lōc xxxii.

*Amico suo An
cissimo, Doctissimo*

1709

1632

30



Nobilib. Amplissimis, Clarissimis & Consultissimis

Dn. MATTHÆO COLDEBACIO
J.U.D. CODICIS JUSTINIAN. in Illustri
Marchion. Brandenburg. Franco-
furtana Professore Publ. Facultatis
Juridicæ ibidem Seniori, & Practico
causarū forensium celeberrimo &c.
Dno. Patrono, Adfinito, & Evergetæ
meo quovis observantiarum gene-
re colendo.

Dn. JOACHIMO CHEMNITIO
J.U.D. Serenissimi Electoris Bran-
denburg. Consiliario, Consistorii
Ecclesiastici, necnon Camerae Ju-
dicialis Adfessori dignissimo. Do-
mino Fautori, Avunculo, & Pro-
motori omni honoris & obser-
vantia cultu ac vultu æternum pro-
sequendo.

SAL. & OBSERV.

Quanta Viri Ampliss. & Consultiss. Patroni & Mæcenates æternum ho-
norandi, disputationum sit necessitas, quanta earundem utilitas, quanta
deniq; jucunditas, id vel (omissis jammodo celeberrimorum tam Jurisconsulto-
rum quam Philosophorum hac de re laudibus ac testimoniis; silentii involucro
etiam obvoluto, quantum ad acuenda disputantium ingenia, ad purè latineq;
loquendum proficiant) ex eo satis superq; manifestum evadit, quod nihil ad eru-
endam eliciendamq; veritatem magis conducatur, quam si disputando,
nulla modo veritas melius rectiusve indagari potest, quam si disputando,
una parte adfirmante, altera vicissim id ipsum negante, rationes inter se confe-
vantur & ponderentur. Quemadmodum enim aromata quo magis conterun-
tur, eo magis redolent, ita etiam veritas, quanto magis oppugnatur, eo clarius
in lucem profertur. Hæc mecum animo ponderans placuit hanc de morâ mate-
riam, propter usum quotidianum frequentissimâ in sequentes positiones redige-
re & sub publicâ disquisitionis includere revocare. Sub tutela autem nominum ve-
strorum, Viri Ampl. in lucem dare volui, imo debui, partim ob consanguinitatis
quo invicem adstricti vinculum, partim ut ob clara eximiorum adfectuum mi-
hi exhibita signa, aliquod gratæ mentis erga vos argumentum, quo benevolentes
& propensos vestros in me animos remunerarer, exstaret. Quare vobis Viri
Ampl. me & hunc ingenii mei partem dedico, me in amorem & officia vestra
largiter proclinatorum, illum impolitum & uti hoc genus est, à cultu nudum;
sed vobis consecro, idq; in gratitudinis devotum monumentum. Valet. Daban-
tur Wittebergæ à museo pridie calend. April. Anno 1632.

VV. AA.

Observantiss.

Coelestinus.

A. & R.

Handwritten notes in brown ink, including the name 'Joachim Chemnitz' and other illegible scribbles.





Cum monente Augustissimô Imperatore,
in l. in nomine 2. C. de off. præfect. Prator. Afric.
 In Nomine DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
 ad omnia consilia, omnesq; actus nostros progredi de-
 beamus; Ego quoq; ad ipsius numinis providentiam,
 animum referens, has de mora controversias
 aggredior. Sit itaq;

P O S I T I O I.

Mora (a) est cessatio, sive improba dilatio (b)
 prætermittendi officium, in solvendo recipien-
 dove (c) debito, alteri damnosa.

(a) Cum multorum errorum genetrix & origo sit ipsa æquivo-
 catio, merito in principio harum thesium, vocabuli ipsius duplicem
 enodamus significationem. Sumitur verò moræ verbum. i. pro qua-
 cunque dilatione: sic dicitur in *l. ait Prator 23. §. ult. ff. ex quibus cau-
 sis majores. judicii moram contingere, quæ l. 26. ff. eodem, vocatur judi-
 cis dilatio §. 4.* Item in *l. aliquando 5. ff. officio procons.* mora appellatur,
 quæ tamen non fit studio, sed necessitate ita urgente *l. legatus 2. §. ali-
 um 1. ff. de legation. 2.* Strictè, pro voluntariâ quadam dilatione, per
l. nonnunquam 8. ff. de collat. honor. quæ hujus est loci & à nobis secun-
 dum Calvin. *in lex. in verb. mora* definita est.

(b) Quæ videlicet non est necessaria aut fortuita, sed studio ad-
 versarii facta *l. si prægnans 13. ff. de fideicom. liber.* Is enim omnino
 moram hujusmodi committit, qui nullâ difficultate impeditus, cum
 potuit, rem non tradit, inquit Gothofred. *ad l. 3. §. 4. ff. de action. empr.
 lit. 1.* & propriè illud non est mora, si fraudandi causa non simuletur.

A 2 l. si

ITIO
Bran-
sistorii
ræ Ju-
o. Do-
& Pro-
obser-
mpro-

um ho-
quant a
onsulto-
volucro
latineq;
ad eru-
quidem
utando,
e confe-
nterun-
clarius
à mate-
redige-
num ve-
ninitatis
um mi-
volentes
obis Viri
ia vestra
udum;
Daban-

& R.



l. si modo 22. ff. de usur. & fruct. Vocatur hæc dilatio, alias frustratio
l. hominem 37. ff. mandati, vel etiam frustratoria dilatio à Treutl.
vol. 2. d. 3. th. 6. arg. l. 3. ff. de usur. imo culpa à Paulo *in l. si servum 91.*
§. 3. ff. de V. O. & dolus ab Interpp. juxta Jason. *in l. si vero ff. qui satis-*
dare cog.

(c) Verba hæc in solvendo & recipiendo ideo apponuntur,
quod non tantum debitor in solvendo, verum etiam creditor in reci-
piendo videlicet id quod oblatum est, moram committere possit.
Hotom. in lex. Alii aliter moram definiunt & quidem variè; nonnulli
aliis verbis, eodem tamen sensu. Alth. *lib. 1. dicaol. c. 67. n. 7. Cujac. in*
π. ff. h. t. in fine. quia tamen hæc nostra ipsius rei essentiam satis ut
opinor superque explicat, ideoq; illam non immeritò retinemus,
contra illos qui moram planè definiiri non posse contendunt, inter
quos est Coraf. *lib. 2. misc. cap. 6.* Quorum potissimum fundamentum
est hoc; quod nempe ea quæ facti sint, qualis est quoque mora, defi-
niri nequeant: Ast refutantur hi quam plurimis juris exemplis; Quip-
pe Pacta & Contractus in facto consistere nemo negabit, & tamen
illorum habetur in jure definitio *l. hujus 1. §. 2. ff. de pact. l. Labeo 19. ff. de*
V. S.

P O S I T I O I I

Duplex est mora: (a) Una ex persona (b) quæ
etiam in persona, seu in personam, Altera ex re (c)
quæ etiam in re, seu in rem dicitur.

(a) Desumpta est hæc divisio à forma, & amplectitur eandem
Vultejus *lib. 1. §. R. cap. 44. n. 46.* Borchold. *de usur. cap. 3. n. 19.* Arum.
cap. 3. n. 14. & multi alii. Dissentit Wesembec. *in π. ff. de usur. n. 3.*

(b) Per *l. mora 32. ff. de usur.* hoc est ex vitio & culpa personæ,
& potest hæc mora fieri tam à parte debitoris quam à parte credito-
ris: Debitoris, cum creditor illum oportuno loco & tempore inter-
pellat & is solvere prætermittit, quod solvere debet & potest, quæ præ-
termissio cum aliquo creditoris incommodo est conjuncta *l. si quis 5.*
§. 1. ff. de collat. l. mora 32. ff. de usur. Creditoris qui solutionem à debi-
tore sibi idonee oblatam recipere recusat, unde aliquid incommodi
ad de-

ad debitorem pervenit. *l. qui decem 72. in pr. ff. de solut. & liberat.*

408.

(c) Est quæ ipso jure sine ulla hominis interpellatione ex solo tempore tardæ solutionis committitur *d. l. mora de us. Ulpian. l. cum vero 26. §. apparet 1. ff. de fideicom. libert.* dicitur item re aut re ipsa *l. si quis 3. §. idem ff. de adim. leg.* ab Interpret. vocatur irregularis extraordinaria & impropria, cum habito respectu ad priorem pro mora non sit habenda. Borcholt. *d. c. 3. n. 19.* Committitur ejusmodi mora in fideicom. libertatibus cum nimirum heres, legatarius vel fideicommissarius, qui manumittere rogatus, eo quo debuit tempore, libertatem non statim, quam offerre debuit, contulit. *d. l. 26. §. 1. ff. de fideicom. libert.* Eodem modo constituitur in mora qui promisit dotem, sive ipsa uxor sit, sive alius; uxor quidem à tempore contracti matrimonii, extraneus verò biennii spacii elapso per *l. cum quidam 31. C. de jure dot.* Similiter ex re mora contrahitur in delictis puta in furto *l. in re 8. §. ult. ff. de condict. fuit.* in abigendo pecore, & ob restitutionem illius pecuniam accipiendo, in his namque casibus in rem mora fit *l. cum 7. C. de condit. ob turpem causam.* Et eadem ratione committitur quoque ab iis qui aliquid vi auferunt, quippe qui plus quam frustratores sunt. *l. 19. ff. de vi & vi armata. Ferret. de morâ. num. 7.* Pluribusque aliis modis ex re mora fieri potest, quos fusius recensent Meier in colleg. Argentor. *d. l. th. 48. & 50. & Arum. c. 4. per totum.* Differentia inter moram ex re & ex persona ex prædictis liquet, cui alias duas addit *D. Arum. cap. 3. de mora num. 15.*

P O S I T I O III.

Nascitur verò Mora ex interpellatione (a) quæ fit vel judicialiter (b) vel extrajudicialiter (c).

(a) Varias verbum interpellare habet significationes, in *l. diffamari 5. C. de ingen. manum.* ponitur interpellare præsidem pro implorare officium judicis. Paulus in *l. servitutes 14. ff. de servitut.* usurpat pro interrumpere; ibi: nemo tam continenter tam perpetuò ire potest ut nullo momento possessio ejus interpellari videatur. Apud Valer. Maxim. *lib. 3. cap. 1.* legitur pro rogare: Cato iterum ac sæpius interpellatus in proposito persistit. Hoc loco denotat admoni-

admonitionem sive denunciationem, factam debitori ad solvendum, creditori ad recipiendum. Et fieri creditori mora videtur, non solum si ipse interpellaverit, sed & is cui mandaverat, vel qui ejus negocia gerebat. Paulus *l. si quis 24. §. 1. ff. de usur. & fruct.*

(b) Nimirum per litis contestationem *l. legatorum 1. l. adversus 2. C. de usur. & fruct. legat.* non vero per solam libelli oblationem, cum ad moræ constitutionem secundum Marcianum *in l. mora 32. ff. h. t.* requiratur denunciatio seu interpellatio, quæ in solo libello non continetur, quia offerendo libellum, non præbetur debitori causa propter quam solvere debeat, dum offertur non reo sed judici, quæ tamen, omnino requiritur à Pomponio *in l. quod te 5. in fin. ff. de Reb. cred.* Diff. Decius, Angelus, & Alexand. *in l. vinum 22. ff. de reb. cred.* referente D. Arum. *c. 5. n. 12.* quorum argumenta contraria in ipso disputationis actu cum bono Deo refellendi sese offeret occasio; si enim omnia & singula solidius explanare velimus, in ingens volumen nostra excresceret dissertatio.

(c) Quæ intervenisse dicitur, si debitor præsens *d. l. mora ff. h. t.* à creditore extra judicium admonitus sit, ut solvat. Philipp. Matth. *d. 2. th. 50. Trentl. vol. 2. d. 3. th. 7.* Necessè autem est ut fiat hæc interpellatio testatò, hoc est, testibus adhibitis *l. qui Romæ 122. in pr. ff. de V. O.* sitq; clara, certa & incitatoria. ubi enim nulla interpellatio, ibi nulla committitur mora *l. nulla 88. de R. J.*

P O S I T I O IV.

Ad constituendum igitur in mora debitorem sufficit extrajudicialis (a) interpellatio, etiam unica (b) oportuno loco (c) & tempore (d) facta.

(a) Quod judicialis in mora constituat extra dubitationis bilan-
cem relinquimus. De extrajudiciali adhuc controversia est non exi-
gua: Etenim Coraf. *lib. 2. misc. c. 6.* id negat; Teste vero Gœdd. *c. 11. concl.*
4. n. 65. de contrah. & comm. stipul. communis Dd. schola illam suffi-
cere arbitratur, eorumq; sententia confirmatur ex *l. si ex legati 23. ff. de*
V. O. l. quod te 5. ff. de reb. credit. qui textus generaliter & indistinctè
loquuntur, & interpellationem tam judicalem quàm extrajudicialem
suffi-

407.
sufficere innuunt; quapropter nec nostrum est distinguere cum lex non distinguat. *arg. l. precio 8. ff. de publ. in rem action.*

(b) Idem hic exoritur dissidium inter juris Interpp. Nos crebrius ra Dd. suffragia & usum forensem Gædd. *d. c. ii. n. 66.* sequimur statuentes ad moram inducendam eam sufficere, nec plures necessarias esse Arum. *disp. 14. ff. th. 18. § cap. 5. de morâ n. 14 Vult. lib. 1. J. R. c. 44. n. 52. l. mora §. 1. ff. b. t. l. si ex legati 23. ff. de V. O.* ratio hujus nostræ sententiæ desumitur ex allegatis legib. quæ loquuntur in singulari numero, adeoq; interpellationem, non verò interpellationes exigunt; Ex abundanti tamen plures fieri posse non negamus, sed non opus est, eum qui semel certior factus est ulterius certiorari *c. eum qui. de R. J. in Sexto. Philip. Matth. d. 2. th. 51. lit. A. B. Arum. d. 14. th. 18.* Dissentit Coras. *lib. 2. miscell. cap. 6.*

(c) Qui talis esse debet ubi etiam invitus debitor ad solvendum cogi possit. Gædd. *d. c. ii. n. 62.* Arum. *c. 5. n. 19.* intellige, in quo quis soluturum promisit: Unde si quis Francofurti centum daturum promisit, non potest Lipsiæ conveniri; Utilitas enim fortè quam habebat debitor, si in eo quo promiserat loco solveret, ipsi adimitur; Præterea non omnibus in regionibus pecuniæ numeratæ sub eisdem usuris fœnerantur, sed aliis in locis graviores, in aliis leviores inveniuntur. *Cajus l. de eo 3. Ulp. l. is. qui 9. ff. de eo quod certo loco. §. si quis agens 33. Inst. de action.*

(d) De hoc idem esto judicium inquit Arum. *d. l. n. 11.* Adeo ut qui ante diem vel conditionem adimpletam interpellat, plus petat: Quia enim ratione qui tardius solvit, quam solvere debet, minus solvere intelligitur secundum illud:

Bis dat qui cito dat, nil dat qui munera tardat,
Eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur § *si quis agens agens 33. Inst. de action.* Myns. *vers. plus autem n. 10.* quia dic vel conditione suspenditur illa solutio *l. cum filiusfam. 49. ff. de V. O.* Hæc tamen de interpellatione dicta non ita intelligenda sunt, ut si interpellatus non confestim solvat in mora constituatur, sed cum quodam temporis temperamento accipiendum, idq; humanitatis causa, quo solutio vel traditio fieri possit *l. quod dicimus 205. ff. de solut. §. ult. Inst. de inutil. lib. stipul.* non ut importunus creditor, statim cum sacco paratus adsit. *Mynsing. §. omnis Inst. de V. O. n. 4. Borchold. ibid.* Temperamentum
autem

autem illud iudicis arbitrio æstimandum relinquitur. *Mynf. d. l. Sapor-
ta de mora. c. 2. n. 30.*

P O S I T I O V.

Similiter eum in mora constituit, dies (a) ob-
ligationi adjectus, sed de conditione (b) apposita
secus (c) est.

(a) Vocatur hæc tacita interpellatio, quando nimirum dies
quo solvi debuit, præterit, tum enim sine hominis facto moram con-
trahit *Goedd. de contrah. & comm. stipul. c. 11. n. 65.* Ut si quis intra men-
sem solvere debet, mense elapso non solvat, eo namq; casu dies pro
homine interpellare dicitur & jus fingit interpellationem intervenisse
Vult. lib. 1. f. R. c. 44. n. 54. Idq; probari potest sacratissimi nostri Im-
peratoris D. Justiniani rescriptione quam *in l. magnam. 12. C. de contra-
hend. & commit. stipul.* hisce verbis disertis reliquit: Magnam legum
veterum obscuritatem quæ protrahendarum litiū magnam occasio-
nem usq; adhuc præbebat, amputantes, sancimus, ut si certo tempore
facturum se aliquid, vel daturum stipuletur, vel quæ stipulator voluit,
promiserit & adjecerit, quod si statuto tempore minimè hæc perfecta
fuerint, certam pœnam dabit; sciat minimè se posse debitor ad evitan-
dam pœnam adjicere, quod nullus eum admonuit, sed etiam citra ul-
lam admonitionem eidem pœnæ pro stipulationis tenore fiet obno-
xius; cum ea quæ promisit ipse in memoria sua servare non ab aliis
sibi manifestari debeat *poscere.* & *in l. emphyteuticar. 2. C. de jure
emphyteut.* ibi: neminem oportet conventionem seu admonitionem
expectare sed ultro sese offerre, & debitum spontanea voluntate sol-
vere. Qui igitur ex die aliquid debet, hic si præstituto die non solvit,
moram facit, quamvis ab eo nihil petitum fuerit. *Donell. de mora c. 2.
Trent. vol. 2. d. 3. th. 7. lit. D.* Dissent. *Bacchovius ad Trent.* hic secutus
Ferretum in tract. de mora. n. 22. qui eo potissimum moventur argu-
mento, quod à Jcto *Scævola in l. nulla 88. ff. de R. 7. & l. 127. ff. de V. O.*
generaliter & sine distinctione traditū est, *nullam esse moram, ubi nulla
est petitio.* Verum enimverò quamvis allegatos textus, de petitione ita
accipi posse non inficias eamus, de iis tamen necessario intelligendos
esse putamus, in quibus petitio ita requiritur ut debitor scire queat,
quando creditori debeat solvere: Jam autē plane supervacuum esset,
moneri

moneri eum qui intelligit certo tempore se id facere debere, sic volente & jubente creditore, seque naturam rei & obligatione ita cogi. Don. d.l. c. 2. cum amplius non sit certiorandus, qui semel certior factus est. c. eum qui de R. J. in 6. quod tamen hoc loco fieret, si ab initio aperta creditoris voluntate certioratus denuo interpellaretur.

(b) Conditionum alia sunt casuales, alia potestativa alia mixta. Borcholt. ad §. omnis stipulatio Inst. de V. O. Videatur Arnold. de Reyger in thesaur. jur. de conditionib.

(c) Non sicuti dies quando venit, ita etiam conditio obligationi adjecta, quando existit debitorem in mora constituit, eamque opinionem habuit Bart. Ferret. d. l. n. 23. qui omnes nostros in hoc consentire ait. Don. c. 3. Ratio autem, quare idem non perficiat conditio, quod dies quodque ad moram inducendam adhuc necesse sit ut accedat hominis interpellatio, haec est, ut nempe debitor sciat, quo tempore, quove loco rem debitam creditor praestari aut solvi sibi velit; quod ipsum ex nuda conditionis adjectione constare haud potest, cum incertum quam sapissimè, quando, vel an unquam conditiones illae sint exiturae Bacch. ad Treutl. d. l. Seceffionem ab hac sententia fecerunt. Accurs. in l. 115. §. item si quis ff. d. V. O. Hotom. hic

P O S I T I O VI.

Quod ad creditorem (a) attinet ut is in mora constitutatur, non tantum debiti oblatio (b) sufficit, sed etiam solennis obfignatio (c) & depositio (d) requiritur.

(a) Quamvis ut plurimum mora circa debitores versetur, quippe quorum maxima pars beneficium scit sumere reddere nescit. Plaut. in Pers. parum aestimantes illud Ovidii.

Dedecus est semper sumere nilque dare.

Fieri tamen interdum solet, ut etiam creditor copiis forte rei familiaris locuples & pecuniosus, debitum sibi oblatum accipere recusando moram contrahat l. si soluturus 32. l. qui decem. 72. ff. de solut. quod postmodum detrimenti aliquid adfert ipsi creditori; ad hujus morae constitutionem requisita in hac positione enumerantur.

(b) Scilicet ejus quod promissum est. Oblatio enim primum & potissimum hic requiritur, quod Divi Severus & Antoninus expresse

B rescri-



rescripserunt in *l. usuras C. de usur.* & idem Antonin. in *l. si creditrici 6. C. eodem.* Fieri autem illa debet tēpore & loco congruis. *l. creditor 102. in pr. ff. de solut.* Nam temporis rationē habere in omnibus rebus bene feliciterq; constituendis plurimum referre natura satis manifestū est: Sic etiam loci spectanda semper est oportunitas, qualiter verō hęc cōparata esse debeant egimus supra posit. *4. lit. C. D.* Ideoq; ne cram- bem bis coctam pręponere videamur, ulteriore repetitione omninō supervacaneum esse censemus.

(c) Quę fit cum sacculus lino trajicitur, signisq; cerę impressis ob- signatur Calv. in *lex. in verb. obsignat. l. acceptam 19. C. de usur.* & hoc eam ob causam, quo creditore pecuniam postea recipiente, constet ob- signatam pecunię summam oblata respondere Arum. *c. 7. n. 7. de mora.*

(d) Tertium & ultimum hoc est, quo omisso creditor moram com- mittere nequit per *d. l. si creditrici 6. C. de usur. ibi:* obsignatam eam de- posuisti per *l. si te 9. C. eodem.* Ideo autem hic exigitur depositio, ne si de- bitor penes se retineat, aliquando creditor possit conqueri, non fuisse sibi semper illius copiam, vel si res interierit, facto aut culpā debitoris id ipsum contigisse prętendere audeat. Arum. *d. c. 7. n. 7.* Ast quæratur ubi hęc depositio fieri debeat? Dicimus in loco publico arg. *l. qui mu- ruam 52. §. fidejussor ff. mādati d. l. acceptam C. de usur.* quales sunt sacra- tissimę ædes in quibus & olim res conservandas depositas fuisse no- vimus ex *l. cetera 4. §. 3. ff. famil. erciscund.* vel qui alias à iudice compe- tente (qui super hac re adeundus est) demonstrabitur ac decernetur. Arum. *d. 14. th. 17.*

POSITIO VII.

Contractâ Morâ, casus rei fortuitus transfertur in moratorem (a) & fructuum, (b) usurarumq; in- ducitur præstatio (b).

(a) Sive jam ille sit creditor, sive debitor. De debitore expressum habemus textum in *l. quod te 5. ff. de reb. cred. ubi* Jctus Pomponius in- quit: quod te mihi dare oporteat, si id postea perierit, quam per te factū erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat. & in *l. si in Asia 12. §. 3. ff. de positi.* quemadmodū quod ex stipulatu vel ex testamento dari oporteat, post judiciū acceptū cum detrimento rei pe- riret; sic depositum quoq; eo die, quo depositi actum sit, periculo ejus apud quem depositū fuerit, est, si potuit id reddere reus nec reddidit.

Sicuti

Si cuti itaq; debitori sua mora est nociva, ita etiam creditori sua nocet mora *l. 173. §. 2. ff. de R. J.* adeo ut si rem oblatam accipere nolit, eaq; postea sine debitoris culpa perierit, non solum debitor liberetur. *Donel. d. tract. c. 10.* sed etiam doli mali exceptione se tueri possit, quanquam aliquando interpellatus non solvat; Non autem hic incōmodè quæri potest, quonam tempore legatorum & fideicommissorum debeantur usuræ? Nos cum *Dd.* statuimus à tempore moræ. *Aram d. tract. c. 8. n. 11. Bacch. ad Treutl. hic th. 7. lit. A.* qui cōmunem & verā hanc esse ait sententiam, quæ traditur à *JC. Paulo* in *l. si quis 23. ff. de legat. 1.* cui adstipulatur *Marcianus* in *l. mora 32. §. 2. ff. de usur.* Ratio est quod legata & fideicommissa bonæ fidei iudiciis in hoc assimilantur eorumq; naturam imitantur *l. usura 34. ff. d. t. §. l. in minorum 3. C. in quib. causis restit. in integ.* Dissentit à nobis *Corasius lib. 2. miscell. c. 7. n. 4.* qui usuras tantum à tempore litis contestatæ; non vero moræ extrajudicialis deberi asserit, cujus opinio in discursu forsan refutanda veniet.

POSITIO VIII.

Et ex hac mora debitoris principalis tenetur etiam fidejussor, (a) unius autem rei mora correo non obest (b).

(a) Licet ille in mora non fuerit *Philipp. Matth. disp. 2. th. 68. Althuf. lib. 1. dicæol. c. 67. n. 22.* uti illud apertè dicitur in *l. si quis 24. §. 2. ff. de usur.* ubi *Paulus*: cum reus moram facit, & fidejussor tenetur, & idem in *l. si à colono 58. §. 1. ff. de fidejuss. §. mandat.* cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fidejussoris durat obligatio. Sic etiam *Dioclet. & Maximia.* explorati juris esse, si fidejussor quis creditæ pecuniæ intercessit, teneri eum ex obligatione, rescripserunt in *l. si mandator 8. C. quod cum eo qui in al.* Nocet autem hæc mora ita fidejussori, ut ejus obligationem non tantum perpetuet & continuet, verum etiam augeat, hoc est, ut teneatur ad usuras & accessiones, quod probatur per textum *l. quæro 54. ff. locati.* quæ tamen jam dicta ita intelligi volumus si in omnem contractus causam fidejubendo sese obligaverit *d. l. quæro ff. locati.* idque vel expressè, vel tacitè; hoc est, ita fidejusserit ut ex antecedentibus & consequentibus ex natura negotii & circumstantiarum, de voluntate fidejubentis constet, in omnem voluisse causam se esse obligatum.

B 2

Unde

Unde jam à contrario sensu cum Goedd. *de contrab. & commit. stip. c. 11. n. 723. & seqq.* rectè concludere possumus, si non in omnem causam intercessit, de omni accessione non teneri, quæ sententia fundata est in *l. fidejussor. 68. ff. de fidejuss. ubi Gothofred. lit. D.* fidejussores nisi in omnem obligationem se adstrinxerunt, in usuras non teneri, asserit *l. quicquid 99. ff. de V. O. Pacius c. 4. q. 33.*

(b) Locum hic habet illa juris regula sua cuiq; mora est nociva *l. in condemnatione 273. §. 2. ff. de R. J. c. mora de R. J. in 6. l. 32. §. 4. ff. de usur.* Nec obstat nobis *l. ex duobus 18. ff. de duob. reis stip.* ubi Pomponius ait: ex duobus reis promittendi ejusdem Stichi factis, alterius rei factum alteri quoq; nocere. Ad quam legem cum variæ sint Dd. responsiones, nobis arridet Philip. Matth. qui eam de ejusmodi facto intelligendam vult, per quod dissolvitur obligatio, & hoc si ab uno ex duobus correis debendi fuerit perpetratum, id ipsum alteri quoq; & comodum & detrimentum adferre. Distingui etiam potest inter factum (de quo lex loquitur) & inter moram: Cum igitur mora fiat ex persona, personam moratoris non egreditur, factum vero fiat in rem, ideoq; pertineat ad utrumq;.

P O S I T I O 1 X.

Purgatur^(a) mora duplici modo: voluntate creditoris^(b) & opera debitoris^(c) Creditoris mora purgatur, si rem à debitore denuo petat^(d).

(a) Cum nihil tam naturale sit quam eodem modo unumquodq; dissolvi, quo colligatum est. *l. nihil tam naturale. 35. ff. de R. J. & quicquid ab hominibus ligatur solubile sit. Novell. 22. c. nuptias 2.* Ideo comode nunc subjicimus quoq; quomodo mora purgetur, & ejus effectus impediatur, perindeq; habeatur, ac si mora contracta antea nunquam fuisset. *l. si servum 91. §. sequitur 3. ff. de V. O.* Purgari igitur mora dicitur, quando voluntaria ista dilatio ita oblitteratur, ut penitus mora quiescat, & omnis ejus poena evitetur, quod tamen accipiendum est de futurâ, non de præterita, ea enim non tollitur. *Donell. c. 8.*

(b) Qui nimirum illam remittit, eandemq; rem sive illa sit præfens sive absens *l. parvi 17. ff. de cond. furtiv.* novandi animo stipulatur. Cum enim veterem obligationem in novam transfulerit; ex nova autem nulla nata sit mora, siquidem ex illa tantummodo res debetur, priore

410.

priore sublata, necesse quoq; est moram, quæ ex inde oritur simul extinguere Donell. *d. l. De forma hujus novationis habetur constitutio Justiniani in l. novatio §. C. de novation. §. præterea 3. Inst. quib. modis tollitur oblig.*

(c) Quando is tempore & loco oportuno debitum offert. *l. in jus 2. ff. de in jus vocand.* Quæ purgatio licita est, in puris dandi obligationibus non ulterius quam usq; ad litem contestatam, quia post litem contestationem plura deberi incipiunt, quam sola res *l. vulgo 2. ff. de usur.* Similiter, si dies quidem non tamen poena obligationi adjecta sit, usq; ad litem contestationem admittitur, postea verò non item. *l. sed et si 17. ff. de constit. pecun.* Quando verò dies & poena simul fuerint adjectæ, ut scilicet si ad certum diem quo promissum est non solvatur, poena promissa sit, tunc nullum moræ purgatio locum habet, tam ante quam post litem contestatam per *l. trajectitia 23. ff. de obl. & action. l. magnã C. de contrab. & com. stipul.* Ratio est, quod ubi sollicita hominis provisio, ejusdemq; circa obligationem voluntas appareat, legis ibi cesset auxilium, cum quilibet licentiam habeat, favori qui pro se introductus, renunciare. *l. si quis 29. C. de pact.* cujus rei exemplum quoq; habemus in hoc casu.

(d) Et hoc loco & tempore congruo, ostendatq; se paratū nunc esse ad accipiendum Papinian. *in l. debitor 7. ff. b. t.* Pompon. *in l. illud 17. ff. de pericul. & commod. rei vend.* In hac autem re judex adeundus est: *Arum. c. 9. n. ult.*

P O S I T I O X.

Cum moræ effectus sint usuræ, conclusionis loco, eas licitas esse de jure divino (a) Civili (b) & Canonico (c) assero (d).

(a) Quemadmodum videre est ex *Deuteron. c. 23. v. 19* *Prov. 29. v. 13.* cui accedit monitum Apostolorum principis *2. ad Corinth. 8. v. 13.* qui benefaciendum quidem aliis esse, maximoperè hortatur, sed tamē ita ne illis sit remissio nobis tribulatio, illis relaxatio nobis afflictio, cum qui suorum curam non habet eisq; fidem negat, infideli sit deterior. Imo Christus ipsemet hoc innuere quodammodo videtur, cum omnia quæ volumus ut nobis faciant homines & nos ipsis faciamus, præcipit *Matth. 7. v. 12.*

(b) De hoc vix dubitari potest cum de iis tam in Digestis in quibus

B 3

bus

bus Jctorum responsa collata, quam in Codice, ubi Imperatorum constitutiones, integri habeantur tituli: ex quibus satis ut opinor superq; eas esse omnimodo concessas demonstrari potest.

(c) Sicuti leges non dedignantur sacros imitari canones, ita vicissim sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur *cap. intellex. 1. de novi operis nunciat. cap. cum expediat. de elect. in 6.*

(d) Hic tamen distinctionem adhibendam esse statuimus, cum Wesemb. in π . ff. h. t. *Liebenthal in coll. pol. ex. 3. q. 15.* Ideoq; tres facimus usurarum species, Lucratorias, Recompensatorias, & Punitorias. Prioris generis dicuntur alias mordentes, & sunt iniquæ, illicitæ, inhonestæ, adeo ut hujusmodi improbas usuras exercentibus, illiciteq; exigentibus infamiæ macula irroganda sit, ex constitutione D. Impp. Dioclet. & Maxim. in *l. improbum 20. C. ex quib. caus. infam.* & tales etiam expresso Dei præcepto sunt prohibitæ *Lev. 25. v. 36. Exod. 22. v. 25.* **Recompensatorias** (dictæ aliàs sublevantes & conservantes remuneratoriæ) interdictas aut illicitas esse dici non potest cum nemini officium suum debeat esse damnosum *l. sed si quis 7. ff. testam. quomodo aperiuntur.* Quemadmodum igitur Christianum est, ut qui habet & potest, alterius egestatem per officium mutuationis, sublevet, sic quoq; justum & æquum est, ut alter mutuantis non velit dispendium, sed ob beneficium præstitum suumq; neglectum commodum, æqualem ipsi referat compensationem Dieter. in *Instit. Cathed. præc. 7. pag. mibi 174.* Tertio **Punitorias** multo minus improbare possumus, cum sustineantur partim propter præsumptum creditoris damnum, quod interesse dicitur, partim propter morâ debitoris quæ tanquam delictum punienda est, Unde Jctus Paulus in *l. cum quidam 17. §. 3. ff. h. t.* usuræ non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium infliguntur. Dissentit Casus in *sp. civit. lib. 1. c. 7. q. 2.* Schönb. *lib. 3. pol. cap. 12.* Qualis vero sit legum circa exigendas usuras taxatio & modus, videatur Wesemb. in π . ff. h. t. n. 19. Arnold. de Reyger in *thes. jur. de usur. n. 246.*

DEO TRINUNI SIT LAUS HONOR
ET GLORIA IN SEMPITERNA
SECULA,

Parerga

I.


An Judaeus possit tutelam gerere hominis Christiani?
Negativam amplector.

II.

An parens pactum, quod filiam nuptum tradens dotale
instrumento inseruit, ut illa dotem non conferret, sed equis por-
tionibus cum fratre succederet, ultima voluntate possit mutare?
Placet affirmativa.

III.

An donatio propter liberorum supervenientiam a quovis
donatario possit revocari? Affirm.



Προσφώνημα

Ad Dn. Christophorum Joachim: Coelestinum
LL. Studiosis: harum positionum propu-
gnatorem,

Perfusus hastis igni comantibus
Lucis jubar Sol cum recipit novae,
Campisq; ab Eois reduxit
Purpureis veteres caballos.
Per prata densa contremulant apes,
Suaviq; cellas nectare farciunt,
Hinc pressa puris mella vasis
Attalicum precium laboris.
Sic tu Themistos pervolitans solum
Humo virentes ore trahis rosas,
Et mella Coelestine, fingis
Juridica studiosus artis.

Nov



Non te retraxit Martius improbus
Nimbus, nec Auster, nec Boreas furens
Moram moratur, quam labore

Perpetuo insinuabis aeo.

Hinc grata profers mella scientia
Quæ vis Hyblæis invenias jugis,
Sed rure legali parantur,

Et Themidis redolent odorem.

Ergo in virenti JUSTITIÆ solo
Flores amœni ac perpetua rosa
Dabuntur, & dignum brabaum

Pro meritis dabitur merenti.

Detur merenti, nec sine me tui
Profunt honores, nec sine me tui
Erunt honores quos sub acri

Præside CARPZOVIO capeſſis.

deproperat.

à Tuo

Felici Henricó Borck
Nobili Pomerano.




ULB Halle
004 961 196

3



WMA







DISPUTATIO JURIDICA,
Continens positiones aliquot
maximè controversas

De

M O R A

Quas

D. T. O. M. F. A.

*Magnifico & Amplissimo Jctorum Ordine
Consentiente*

*In celeberrimâ & florentissima Witebergenſium
Academia.*

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI EXCELLENTISSIMI
ET CONSULTISSIMI VIRI

DN. CHRISTIANI CARPZOVII

J.U.D. Præceptoris, Fautoris ac Promotoris sui,
eo quo par est honoris cultu prosequendi.

In publico Jctorum Auditorio


Placidæ disputantium cenſuræ ſubjicit.

CHRISTOPH. JOACHIM COELESTINUS

Cuſtrinô Marchicus

Habebitur ad diem 31. Martii

horis antemeridianis



WITTEBERGÆ,

Typis GEORGII MÜLLERI,

ANNO clc lcc xxxii.

*Amico ſuo An
ciſſimo, Doctiſſimo*

*1632. 1
30*

